Quelle: https://manuscripta.at/?ID=743
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Non rogo pro mundo. sed pro his quos mihi dedisti. Per hoc enim quod eos illi pater iam dedit. factum est ut non pertineant ad eum mundum pro quo non rogat. Deinde subiungit. Omnia tua sunt. Neque enim quia pater eos filio dedit. amisit ipse quos dedit. cum adhuc filius sequatur ac dicat. Et mea omnia tua sunt. et tua mea. Ubi satis apparet. quomodo unigenito filio sunt omnia quae sunt patris. Per hoc utique quod etiam ipse ds est. et de patre patri e natus equalis. Et clarificatus sum inquit in eis. Nunc sua clarificatione tamquam facta sit dicit. cum adhuc esset futura. Dicendo enim esse iam factum. ostendit iam fuisse predestinatum. et certum habere voluit. quod esset futurum. Et iam inquit non sum in mundo. et hi in mundo sunt. Si horam prius illam qua loquebatur attendas. utique adhuc in mundo erant. et ipse scilicet. et illi de quibus hoc dicebat. Non enim secm profectum cordis et utique. id accipere possumus uel debemus. ut illi propterea esse adhuc dicantur in mundo. quod mundana adhuc sapiunt. ille autem iam non esse in mundo. sapiendo diuina. Postum enim e hic unum uerbum. quod nos ita intelligere omnino non sinat. Quia non aut. et non sum in mundo. sed iam non sum in mundo. Per hoc ostendens fuisse in mundo. iam non esse. Numquid ergo fas est. ut eum credam aliquando mundana sapuisse. et ab hoc errore liberatum iam illa non sapere. quis tam impio sensu se induerit. Restat igitur ut secundum id quod etiam ipse in mundo prius erat. in mundo se dixerit etiam non esse. Profecto presentia corporali. a mundo scilicet absentia sua cito futura. illorum autem tardius per hoc ostendens quod se iam non hic esse. illos autem hic esse dixit. cum et ipse hic et illi adhuc essent. Sic enim est locutus homo congruens hominibus ut mos loquendi sese ha